

Monitum auctoris.

A meis discipulis saepius rogatus, nec non plurium virorum doctorum consilio permotus typis vulgare institui Juris Canonici lectiones, quas docendi munere fungens elucubravi. Verum, dum voluntati illorum obsequendum duxi, vehementer timeo, ne opus ipsum eorum votis satisfaciat. Siquidem variis occupationibus distentus non potui meam, uti optabam, impendere operam, ut res in meliori disponerentur ordine, cultiori efferrentur stilo, et implexæ theoriæ, quæ in re canonica occurunt, clarius evolverentur atque explanarentur. Meum quidem in lectionibus conscribendis consilium fuit, ut non solum doctrinæ sinceritati consulerem, sed etiam rerum perspicuitati prospicerem, atque ita discipulis meis viam sternerem, qua juris canonici elementa addiscentes, ad ejusdem juris altiora et ampliora studia idonei redderentur. Utrum quod mihi propositum fuit attigerim, videat benignus lector; mihi autem satis erit, si hoc qualecumque opus aliquam utilitatem clericis juris ecclesiastici cultoribus afferat, atque ex eo documentum habeatur peculiaris benevolentiae, qua studiosam juventutem, cui excolendæ operam dedi, sum jugiter prosecutus.

Decretalium Gregorii IX.

Liber I.

Prolegomena.

1. Quoniam Ecclesia Christi seu Societas perfecta in ordine suo, propria gaudet auctoritate, hinc proprias leges ferre, propriumque jus statuere potest, et revera jus suum condidit, quod canonicum dicitur. Hujus canonici juris expositionem aggredientes illud definimus 'Jus ex regulis ecclesiasticis conflatum ad christianam vitam pro vario fidelium gradu et qualitate rite informandam, et ad rectam justitiae administrationem in populo christiano servandam'. Definitio hujusmodi complectitur jus canonicum proprie dictum, illud nempe quo Ecclesia auctoritate sua constituit.

2. Ecclesia autem, prout videre est in collectione canonum, plures sententias ex S. Scriptura depromptas fecit suas, et non nullas leges a Deo latas humana sanctione communivit. Quare jus canonicum lato sensu sumptum comprehendit tum jus ab Ecclesia conditum et constitutum, tum jus constitutum a Deo, et ab Ecclesia fidelibus propositum.

3. Porro jus canonicum proprie dictum aliud est scriptum, aliud populi moribus introductum. Nos præcipue de juris scripti interpretatione agimus: quod cum pro vario principio auctoritatis a qua dimanat distinguatur in universale et in particulare, nos de universalis tractationem suscipimus, illudque præcipue exponimus, quod in corpore juris exhibetur.

Santi, I. Decr.

4. Corpus autem juris canonici tribus voluminibus constat. Primum volumen *Gratiani Decretum* inscribitur, secundum *Decretales Greg. IX.*, in tertio autem volumine continentur Liber sextus decretalium Bonifacii VIII. et Constitutiones Clementinæ nec non extravagantes Joan. XXII. et extravagantes communes.

5. De auctoritate singulorum voluminum. — *Decretum Gratiani* nihil aliud est nisi opus a Gratiano monacho Ord. S. Bened. confectum, quod appellavit *concordantiam discordantium canonum*. Componitur autem ex variis S. Scripturæ testimoniis, ex Conciliorum decretis, ex constitutionibus et decretalibus Romanor. Pontificum, ex pluribus sententiis Ss. Patrum, et ex selectis etiam legibus civilibus.

6. Hoc opus magnam assecutum est auctoritatem ab ipso sui initio. Quæstio a Doctoribus instituitur utrum haberi possit ceu opus juridice authenticum, id est utrum vim habeat obligandi in universa Ecclesia. Alicujus sunt ponderis argumenta quæ pro affirmativa sententia militant. Nam 1^o. in scholis et in foro fuit receptum, ejusque canones ab ipsis Summis Pontificibus aliquando allegantur. 2^o. Emendatum accuratissime fuit auctoritate Summorum Pontificum, et emendationem probavit Greg. XIII. qui præterea in privilegio concesso die 1. Junii 1580 hoc opus aliis libris juris adjunxit simulque appellavit '*jus canonicum*'.

7. At contrarium tenendum est. Nam privata auctoritate Gratianus canones collegit et volumen a se confectum vulgavit, nec ulla edita est constitutio legislatoris supremi in Ecclesia quæ librum illum authenticum reddiderit eumque ceu legum codicem ab omnibus haberi jusserit. Tota ergo auctoritas canonum Gratiani intrinseca est, idest revocanda est ad primitivam eorum conditionem, tantique faciendi sunt canones in Decreto quanti valuisserent per se, etsi in collectione Gratiani non fuissent. Et hoc sub sensu recipiuntur in scholis et in foro, atque ab ipsis Romanis Pontificibus allegantur. Notandum vero est quosdam canones Gratiani ex consuetudine obtinuisse in Ecclesia vim legis. Gregorius XIII. vero probavit tantummodo emendationem operis, non vero opus ipsum authenticum reddidit. Probatio enim Gregorii eo dirigitur 'ut (sunt verba Pontificis) quæ emendata et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur'. Unde Gregorius non fecit suum *Decretum Gratiani*. Hoc autem volumen ab eodem Gregorio appellatum est *jus canon-*

nicum et corpori juris accensitum est, non quod omnia quæ in ipso continentur vim legis habeant; sed eo quod plurimi ecclesiastici canones in eo exhibentur, qui saltem ex consuetudine disciplinam Ecclesiæ referunt; sub quo sensu etiam nos inter partes corporis juris illud referimus.

8. Secundum volumen juris canonici venit sub nomine *Decretalium Gregorii IX.* non quatenus solas epistolas decretales hujus Pontificis complectatur; sed ideo hoc volumen Gregorio IX. inscribitur, quia ejus jussu a B. Raimundo de Pennafort decretales epistolæ Romanorum Pontificum, Conciliorum decreta et Ss. Patrum sententiæ collectæ sunt in unum volumen; quod volumen divisum est in quinque libros; quique liber in titulos, quique titulus in capita dispescitur. Hoc volumen Gregorius IX. suum fecit, voluitque normas et principia in eo descripta servanda esse in scholis et in judiciis, id est vim legis habere, prout patet ex constitutione Bononiam missa, quæ collectioni *Decretalium* præmittitur, quæque incipit 'Rex Pacificus'. Quare dubitari nequit de authenticitate hujus voluminis.

9. Idem dicendum de libro, qui sextus Liber *Decretalium* inscribitur et in 3^o. volumine *Juris Canonici* continetur. Bonifacius enim VIII. qui illum confici jussit ac in titulos et libros ad normam codicis Gregoriani redigi voluit, eundem pontificia auctoritate communivit, legisque valore donavit.

10. Collectio etiam Constitutionum Clementis V., quæ in eodem 3^o. volumine referuntur, legis vim obtinet; probata enim est a Joanne XXII. eodem modo quo probatæ fuerant *Decretales Gregorii* et *Sextus Decretalium*.

11. Tertium vero volumen complectitur etiam Constitutiones Joannis XXII. quæ *Extravagantes Joan. XXII.* appellantur, et Constitutiones quæ a pluribus Pontificibus editæ, *Extravagantes communes* dicuntur. Quæritur quænam sit harum constitutionum auctoritas. Profecto scimus eas fuisse in unum collectas auctoritate privata, nec inde pontificiam auctoritatem et sanctionem collectioni accessisse. Verumtamen eas esse genuinas patet tum ex nomine summi Pontificis cui unaquæque inscribitur, tum ex possessione tot sacerdorum, ex quibus tam a Doctoribus quam ab ipsis successoribus Romanis Pontificibus, uti authenticæ habitæ semper sunt. Quare cum certum sit hasce constitutiones a Romanis pontificibus prodiisse, dicendum est easdem vim legis in Ecclesia obtinere.

12. Ad volumina secundum et tertium juris canonici sermonem restringentes animadvertisimus plura in iisdem esse consideranda. Et 1º quidem habentur Rubricæ quæ nihil aliud sunt quam superscriptiones titulorum, quæ generatim exprimunt materiam tituli, ex. gr. titulus *de Constitutione*. Jamvero superscriptiones istæ opus sunt B. Raimundi, easque Gregorius IX. opus integrum approbans, fecit suas. Ergo authenticæ sunt.

13. Distinguendum vero est inter rubricas generales, quæ propositionem determinatam non exprimunt, et speciales, quæ nempe sensum et perfectam orationem continent. Generalis rubrica est: *de Rescriptis, de decimis primitiis et oblationibus, de Sponsalibus et Matrimonio, de Simonia etc.* Specialis esset: *ut Beneficia sine diminutione conferantur L. 3. t. 12. ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub anno censu concedant L. 5. t. 4.* Porro generalis rubrica ex sui natura nullam legem exhibet; non vero idem de speciali dicendum; nam cum sensum completum exprimat, idest propositionem præceptivam vel prohibentem complectatur, servanda est ut verba Legislatoris, et in foro optimo jure allegari potest.

14. In capitulis titulorum legitur superscriptio, id est communiter dicitur ex. gr. 'Innocentius III. vel Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo'. Hæc superscriptio proprie legem non continet; cum vero authenticæ sit exhibit verbum Legislatoris; et quoniam præsumuntur omnia a Legislatore in suo codice in certa scientia et ordinata posita fuisse, solent auctores ex superscriptionibus argumentum inferre pro majore dignitate personarum vel cœtus vel sedis, si a Pontifice prius nominentur præ aliis. Hinc ex eo quod Cap. 23. — De Appellation. inscribatur 'Patriarchæ Gradensi et S. Vitalis Presbytero Cardinali' Doctores arguunt ex vi juris communis Patriarcham Gradensem fuisse præpositum dignitate Cardinalibus ex ordine Presbyterali. Idem Doctores cum glossa inferunt ex cap. 1. De Decimis in 6º. quod Fratres Prædicatores præferendi sint Fratribus Minoribus: inscribitur enim caput istud 'Fratribus Prædicatoribus et Minoribus'.

15. Præter Capitulorum superscriptiones dantur capitulorum ipsorum summa. Præponuntur scilicet cuilibet capiti verba quædam nigris characteribus notata, quæ breviter referunt ea quæ in capite disponuntur. Porro summa hæc non sunt primitior operis pars, sed pro addiscentium utilitate inde fuerunt adjuncta,

Abbatemque Panormitanum præsertim et Joannem Andream autores habent. Cum ergo a Greg. IX. non fuerint probata, vim legis non obtinent, ac tanti facienda sunt quantum cum capite ipso concordant. Hinc non semel adnotatur in summa 'Hoc dicit secundum unum intellectum, hoc dicit secundum alterum intellectum'.

16. Pro juris cultorum utilitate factum etiam est, ut cuilibet capiti breve quoddam circumscriberetur commentarium, quod *glossa* dicitur. Commentarium hoc privata confectum est auctoritate, ac proinde vim legis non habet; illud autem suscipimus solummodo ceu sapientem privati doctoris sententiam, quæ proinde non parvi ponderis est. Unde in scholis et in foro citatur.

17. Tandem animadvertisimus quandoque in capitibus afferri rationes et principia juris, quæ a partibus litigantibus Pontifici forsan proponebantur, quæque *partium allegationes* vel *pars exornativa rescripti pontificii* dicuntur. De hisce tenendum est non obtinere vim legis, a Pontifice enim referuntur pro rei claritate.

18. In jure canonico tradendo ipsum ordinem titulorum sequimur quem B. Raimundus servavit. Incipimus a primo libro qui *de personis* præsertim agit, quæ jurisdictionem in Ecclesia exercent. Materia autem quinque Librorum Decretalium sequenti versiculo indicari solet: 'Judex, judicium, clerus, connubia, crimen'.

TITULUS I.

De Summa Trinitate et Fide Catholica.

1. Cum Deus sit fons et principium omnis justitiae, tum Justinianus Codicem, tum Gregorius IX. sacrorum canonum collectionem ab augustissima Trinitate jure meritoque auspicantur. Verum de Ss. Trinitatis mysterio nostrum hic agere non est; de eo enim ex instituto Theologi tractant.

2. Secunda pars rubricæ 'de fide catholica' inscribitur. Nomen *fidei* in hoc titulo non intelligitur virtus Theologica fidei, quæ in interioris animi assensu consistit, sed fides in titulo objective potius sumitur, ac collectionem articulorum credendorum, seu symbolum et formulam fidei significat, et relativam professionem.

3. Occasione hujus tituli Doctores canonicam quæstionem instituunt 'quinam teneantur publicam seu solemnem fidei professionem edere'. Omittimus professionem fidei quæ in susceptione bap-